



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

§. 2. De Croacia.

N V M. I. Nomen.

SUMPSISSE videtur à Corbatis populis, seu Crobatis quorum Cedrenus meminit. A Germanis *Krabaten* appellantur, & à Latine loquentibus *Corbani*, vt & regio *Corbania*.

N V M. 3. Qualitas.

AD boream feracissima olearum, vitium, herbarum: & nisi pateret incursionibus Turcarum nulli Europæarum decederet. Equos alit minutos, sed fortes, & propè Tartaricis pares.

N V M. 3. Mores.

HABENT ex Hungaricis Slauicis, & Germanicis permixtos mores: vnde aiunt nobiles Cosacos ebrietate Germanos, Hungaros superbiâ, & fraudibus, Slauos importunitate superare. Catholici plerique omnes, viri fortissimi, & ad vexandos hostes aptissimi, propter militiae genus penè Tartaricum.

N V M. 5. Politia.

REGITVR à Turcâ per Saniacos, qui à Bosnensi Præfecto pendent. Hic quoque Præfectus Austriacus. VSKOKI & MORLACHI à quibus, & regiunculis nomina, omnes Christiani sunt, Slauicè loquuntur, & per *Vaiuodas* suos, & *Arabassos* reguntur. Vskoki autem dicti sunt à voce Slauicâ *Skok*, quòd optimè saltent. *Gigges* quoque per Croaciam, & Istriam sparfi Multauiico vtuntur idiomate.

§. 3. De Dalmatia.

N V M. I. Nomen.

NOMEN antiquum retinet ab oppido Delminio.

N V M. 2. Qualitas.

REGIO temperatissima, quare omnes incolæ macrobij: item fertilissima, vnde & oues adhibita cura bis in anno pariunt. Piscibus abundat ora Insulis prætexa: loca aspera feris; culta oleis, vitibus, segete abundant. De fodinis auri tacetur, fortè quoniam exhaustæ sunt. Hinc mel, cera, plumbum, pelles ouinæ, & oleum vulgò efferuntur.